



16



MEDICATIO DUARUM ÆGRARUM,
PARONYCHIA, & COM-
 BUSTIONE PEDIS
 LABORANTIUM.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI,

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ

Professoris Ordinarii, ac Philosophi

eximii,

Publica disquisitioni exhibet

JOHANNES SIKO Ung.-Transsylvanus.

Ad diem 14. Junij, horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
 TYPIS *Gisberti à Zyll, & Theodori ab Ackersdijck,*

MDCCCLII.



Reverendis, ac Clarissimis Viris,

D. PAULO MEDJESI, Ecclesiae
Dei Rivuni collectæ, Pastori fidelissimo, benevolo
affectu in me propenso, plurimum honorando.

D. FRANCISCO K. FOGARASI, Ec-
clesiae Dei, quæ est Albæ-Juliae, Ministro fidelissi-
mo, Affini mihi perpetuâ observantiâ colendo.

Clarissimo, ac Doctissimo Viro,

D. MICHAELI TOPHÆO, SS. Theo-
logiae Doctore dignissimo, ac in Illustri Scholâ
Varadinâ ejusdem facultatis Professore indefes-
so, Amico singulari necessitudine conjuncto.

H O C E X E R C I T I V M

Do, & Dedico.

J O H A N N E S S I K O B.



MEDICATIO FOEMINÆ
 PARONYCHIA
 LABORANTIS.

I.

Mulier triginta annorum subitò incidit in acerbis-
 simum dolorem, extremum digiti indicis sinistrae
 manus, circa unguem, infestantem. Isque intra
 paucas horas tantum incrementum sumsit, ut ei
 supervenerit febris continua, nausea, & lipothy-
 mia subinde recurrens. Doloris acerbitas nullum somnum nul-
 lamque requiem ipsi concedit. Nulla etiamnum adest inflam-
 matio, nullusque tumor.

II.

Pars affecta est extremitas digiti indicis circa unguem sinistrae
 manus; ut ex querela ægrotantis patet.

III.

Morbus est intemperies acerrima, indicem circa unguem si-
 nistrae manus acerbissimo dolore infestans, febreque, nau-
 seam, & lipothymiam, vigiliis, nec non perpetuam inquietudi-
 nem inducens; quæ *panaritiū* vel *paronychia* vulgo appellari solet.

IV.

Causa proxima hujus morbi & symptomatum est humor acer-
 rimus, ope pororū partis affectæ, fortè ex aliquâ contusione vel
 alia causa vitiatorum, à reliquo sanguine separatus, & extremū
 tendinem ibi vehementissime rodens. Hic enim partem affectā
 ingressus, *inducit intemperiem acerrimam*, eamque acutissimo sensu acutif-
 simis suis particulis rodendo & pungendo *acerbissimum illum pro-*
ducit dolorem; qui spiritus in cerebro reliquoque corpore dein-
 de inconvenientissime movens, efficit, ut illi biliosos & mali-
 gniores humores sanguinis à reliquis ejus partibus separent, qui
 deinde ad cor perpetuò delati, ibique præter naturæ modum
 incalescentes, *febrem continuam* gignunt. iidem illi spiritus in

cerebro inordinate & vehementer moti, primùm cerebrum e-
jusque ventriculos & nervos dilatando pariunt *perpetuas vigilias*:
& deinde, in ventriculi fibras obliq; ascendentes influendo, pro-
ducunt *nauseam*; & cordis fibras constrictorias vehementius in-
grediendo, eòq; subinde partes sanguinis dilatationi convenien-
ti ineptas deferendo, gignunt *lipothymiam per vices recurrentem*:
in toto vero corpore humores acriores spiritusque vehemen-
tius & inordinate agitando, *perpetuam illam producunt corporis*
inquietudinem. Quia autem etiamnum paucus humor ad par-
tem affectam affluit, ejusque particulae nondum ita sunt dispo-
sitae, ut subtilis materia eas tam vehementer, ut in inflamma-
tionibus fieri solet, movere possit, hinc *nullus haëtenus adest tu-
mor, nullaque inflammatio*.

V.

Morbus hic, propter humorem illum acerrimum, vehemen-
tissimum illum dolorem reliquaque gravissima symptomata in-
ferentem, & graviora, nempe inflammationem totius brachii
& tendinis corruptelam, nisi caveantur per diligentem cura-
tionem, inducturum, periculosissimus est. Atque ideo diligen-
ti *curatione* erit impugnandus.

VI.

Eaque in intemperiei istius ablatione, per acris istius hu-
moris educationem instituenda, erit tentanda.

VII.

Primò itaque foveat aliquamdiu digitum dolentem lacte
vaccino, in quo *flores chamomeli, meliloti, & sem. fanigraci & cy-
doniorum fuerint coëti*.

Deinde superficies cutis paulatim dissecetur scalpello. Abra-
sâ hac ratione cute, macula una vel plures rubicundae appare-
bunt: quibus acie cultelli incisus, aquae rufae gutta una vel al-
tera apparebit sub cute: quâ linteolo deterasâ, applicetur *linteo-
lum madefactum in aquâ vita, in qua nonnihil theriacae est dissolu-
tum*.

VIII. Nisi

VIII.

Nisi illa apertio cutis mox in principio fiat, copiosissimi ex doloris vehementia affluent humores, qui tumorem aliaque inducent descripta symptomata, quæ omnia curatione jam proposita præcaveri, & dolores mox sedari poterunt.

IX.

Alii practici solent incisionem ad tendinem, imo ad ipsum os usque instituere. Verùm ea curatio periculosissima, ob tendinis gravem læsionem, solet esse.

MEDICATIO ANCILLÆ
PEDIS COMBUSTIONE
LABORANTIS.

I.

ANcilla 20. annorum, dum imprudentius circa culinæ focum versabatur, evertit vas aquæ ferventis plenum in suum crus; ita ut tibia sinistra, ad genu usque, & supra illud, mirum in modum aquâ adureretur. Accessit mox ingens dolor, cujus vehementiâ totum crus ad imam usque plantam valde intumuit. Ab initio applicata fuerunt lintea spiritu vini madefacta, ex quorum usu tumor quidem nonnihil subsedit: Verum cum egra sequentibus diebus à locis frigidis sibi non temperaret, factum est, ut dolor, inflammatio, aliaque symptomata, indies magnum incrementum sumserint. Adest jam febris & magna inquietudo, crusque rursus morbo valde intumuit.

II.

Pars affecta est crus sinistrum; quod ad oculum & ex quere-la ægræ patet.

III.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies calida & serosa sinistri cruris, cum tumore conjuncta; quæ, ab illapsu aquæ fervidæ excitata, *combustio cruris* vulgo appellari solet.

IV.

Causa hujus morbi externa fuit aquæ istius ferventis in crus ancillæ illapsus. Illa enim suo fervoris motu insensibiles particulas cutis & vicinarum partium ita disposuit, ut subtilis materia sive æther, qui in iis existerat, vehementius se & particulas istarum partium posset agitare; atque ita *ustionem* in crure produxit. Ustæ autem cutis partes vehementi suo motu nervos vicinos agitando, agitationemque illam ad cerebrum & ibidem ad mentem deferendo, *ingentem illum cruris* pepererunt *dolorem*; qui spiritus in ventriculis cerebri existentes ita determinavit, ut illi copiosius in partes affectas fluentes, poros vasorum in iis existentium multos aperuerint, quo humores biliosi & serosi ibi à reliquo sanguine separati, & in partes affectas per poros illos nimis apertos copiose ruentes, *totum crus, ad imam usque plantam, in magnum tumorem distenderunt*, intemperieque calida & serosa perfunderunt.

V.

Tumor autem ille intemperiesque cruris, ex adhibito cum linteis vini spiritu, valde fuerunt imminuta; spiritus enim vini primum calore & humiditate sua, poros partium combustarum aperiendo, serolos mordacesque vapores & humores foras eduxit; & deinde, quamvis spiritus vini in aliis partibus excitet calorem, is tamen, partibus ambustis hic profundius sese insinuando, tales ibi fecit poros, ut subtilis sive ætherea materia sese vehementius in iis movere non posset, atque ita aliquam refrigerationem induxit.

VI.

Cum vero agra hac deinde sibi à locis frigidis non caveret, factum est, ut frigus aëris poros in partibus ambustis nimium clauderet, atque ita acres mordaces & calidos vapores & humores, aliàs exhalaturos, in iis retineret. Hi autem retenti moverunt ita partes ambustas, ut inde dolor inflammatio aliaque symptomata indies magnum incrementum, per partium pravam dispositionem à vaporibus & humoribus istis retentis orientem, sumserint, febrisque inquietudo & tumor totius cruris accesserint.

VII.

Morbus hic, propter magnum suum à naturali statu recessum, gravia-

graviaque, quæ adfunt, fymtomata, *periculosus est*; metus enim est, ne si non satis bene curetur, herpetem, gangrænam, vel a-
alium gravem affectum inducat.

VIII.

Curatio itaque recta mox adhibenda; eaque consistet in in-
temperiei, tumoris, doloris, reliquorumque fymtomatum, pec-
uliaribus ambustis contraria, ablatione.

IX.

Mox itaque, ubicunque epidermis nondum separata est, ap-
plicetur sequens unguentum:

Rx. caparum crudarum ℥ j. β.
salis, saponis veneti alb, ana. ℥ j.
Misceantur in mortario, addendo
ol. ros., & amigdalarum dulcium q. s.
ut fiat unguentum.

Deinde toti cruri, pedi, & genu, hoc adhibeatur cataplasma:
quotidie usurpandum ad finem curationis usque:

Rx. farin. hordei, fabarum an. ℥ vj.
sem. fenigræci ℥ j. cydoniorum ℥ β.
herb. malva, althea, cum radd. pulveri. an. ℥ j. β.
rad. curcumæ pulveris. ℥ β. butiri recent. ℥ iiij. croci ℥ j.
Pulveres sem. fenigræci & cydoniorum primò aquâ parum
coquantur, quæ cum refrigerata iterum fuerint, reliquæ
farinæ & pulveres una cum butyro adjiciantur, coquantur-
que lactis vaccini q. s. ad consistentiam cataplasmatidis, cui
admisceantur vitelli ovorum N^o. ij. appliceturque calide.

Sub vesperam sumat hunc haustum anodynum subinde rei-
terandum:

Rx. lactis amigdalati ℥ iiij.
syr. de papavere. ℥ iiij. Misce.

X.

Postridie sumat talem bolum: subinde repetendum.

Rx. electuar. diaprunis sol. ℥ ij.
scammonij, cremor. tartari an. ℥ β.
syr. ros. sol. q. s. m. pro bolo.

Dum



Dum cataplasma adhibebitur, humores illapsi in pus convertentur, quod per poros insensibiles cutis foras expelletur.

XI.

Continuandus horum usus ad finem usque: in nonnullis tamen locis magis humidis circa finem curationis adhibeantur linimenta exsiccantia, ut unguentum de cerussa, de minio & similia.

XII.

Diata sit tenuis & refrigerans: abstineat à vino: utatur cerevisia tenui & decocto hordei, in quo agrimonia & veronica sunt cocta.

Corollaria Respondentis, exercitii causâ annexa.

- I. **P**raeter motus, quietis, magnitudinis, situs & figura partium comprehensionem, nulla sunt forma materiales.
- II. Hac autem sunt principia perspicua, & ad explicationem rerum naturalium sufficientia.
- III. Substantiales ergo formas vulgares rejicimus: cum tales in rerum natura nulla dentur; explicationique rerum naturalium nihil claritatis, sed multum obscuritatis adferant.
- IV. Forma hominis quamvis sit substantia, non potest tamen inter formas substantiales vulgares numerari: cum ea nec è potentiâ materiae educatur, nec in eam unquam relabatur.
- V. De hac hominis formâ, quæ est anima, per rationem naturalem dubitari non potest.
- VI. Materia quoque, quæ corpus non sit, nulla datur.
- VII. Definitio motus, quod sit actus entis in potentiâ, quatenus in potentiâ, multis modis est vitiosa.
- VIII. Omnes vulgares motus species possunt ad motum localem revocari.
- IX. Hic verò de novo generatus nullus datur.
- X. Nigredo color non est.
- XI. Magnes ad se ferrum non trahit, sed pellit.
- XII. Vena apertio, sanguinem effundens doloremque pariens sine solutione continui fieri potest.
- XIII. Homo vivens moritur.
- XIV. Spirituum animalium influxus est una proximarum cordis motus causarum.
- XV. Circulatio sanguinis datur.
- XVI. Fames in nobis non à venarum suctione, sed ab acerbis succis fermentaceis ventriculum vellicantibus fit.
- XVII. Sanguificatio perfecta non in hepate, sed in corde fit.

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





E U N D E M.

scuro studio secreta Minervæ
, & tacito limina docta pede :
nox Phœbi sub culmine versans,
is discere multa tuis.
or te duxit ad ardua motus,
unc ad graviora trahit :
os spectant subsellia vultus,
eri verus alumnus ades.
s ipse movet tua pectora, motus,



43. 179

MEDICATIO DUARUM ÆGRARUM,
PARONYCHIA, & COM-
BUSTIONE PEDIS
LABORANTIUM.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI,

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ
Professoris Ordinarii, ac Philosophi
eximii,

Publica disquisitioni exhibet

JOHANNES SIKO Ung.-Transsylvanus.

Ad diem 14. Junij, horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS Gisberti à Zijll, & Theodori ab Ackerfdijck,
c l o l o c l i.

